



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. M. Theodvnivs E Regia Boiorvm Stirpe Pontifex Leodiensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B. M. THEODVINVS

E REGIA BOIORVM STIRPE PONTIFEX
LEODIENSIS.

CIO. LXXV.
IX. Cal. Quintil.
Aegid. aurea Vallis
relig.
Ioan. Chapeauill, in
Episc. Leod. t. 2.
Aegid. Buecherius in
eisdem.
Acta abbatum S.
Laurentij.



Non est hic Theoduinus in sacras fastorum tabulas re-
latus, sed cum scriptorum veterum auctoritate pietas
eius singillatim commendetur, praesertim eximius in
Dei matrem & virginem cultus, amor & veneratio,
non iudicavi silentio praetereundum. Creatus est
Leodiensis antistes Theoduinus anno CIO. LXIII. VVazoni suffe-
ctus. ecclesiae Hogenfi aeternae virgini dicatae quindecim Canoni-
cos, cum totidem ante haberet, adiecit, totamque a fundamentis
instauravit, ibidemque S. Domitiani pontificis corpus collocavit,
& cum Lyctberto Cameracensi postea Diuis adscripto, novam æ-
dem reginae caeli Dei matri, & Domitiano initiauit anno CIO. LXVI.
Posuerat hoc olim D. Maternus, sed temporum vetustate, quae con-
sumit omnia, plane consenuerat. Hic Theoduinus in actis Abba-
tum S. Laurentij placidum Leodiensis ecclesiae appellatur *Sidus*.
Multa miranda dictu factu euenere Theoduiuo pontifice Leodij,
praesertim in æde SS. Lamberti & Remacli, Rutis praeterea apud
Tungros cum dedicaret B. Emmerammo ædem a VVederico pra-
sede monasterij Borceti conditam. Eiusdem æuo S. Iacobi Apo-
stoli brachium, & e Bartholomæi, sanctique Sebastiani & Pan-
cratij M. M. reliquiis multa sunt e Galicia Leodium delata, quo die
nullus jucundior Leodiensibus dies apparuit. Narrantur inde pro-
digia ad sacros Diuorum pulueres facta. Delata eodem tempore
Leodium fragmen de victrici S. Crucis arbore, deque S. Laurentij
cineribus. Religiosissime defunctus est Leodij anno CIO. LXXV.
IX. Calend. Quintil. & ingenti omnium veneratione in Ho-
genfi æde, nobili mausoleo con-
ditus.

B. MVRI.